MARTINI
AB AZPILCVETA
DOCTORIS NAVARRI

COMMENTARIVS
de Silentio in diuinis officijs, præſertim in choro ſeruando,

SVPER CAP. IN LOCO BENEDICTIONIS. 5. Q. 4.

AB IPSOMET DESVMPTVS ex ſuo Enchiridio, ſiue Manuali de Oratione, & Horis Canonicis.

PERMISSV SVPERIORVM.

R O M AE,
Ex officina Iacobi Tornierij, & Iacobi Bericchiæ.
M. D. LXXXIIII.

Gregorij XIII. Pont. Opt. Max. priuata lege ſancitum eſt, ne quis Typographus imprimere, neu quis Bibliopola diuendere, donare, aut permutare hunc Martini ab Azpilcueta Doctoris Nauarri Commentarium de Silentio in Diuinis Officijs, præſertim in choro ſeruando, audeat ante decennium abſque eiuſdem auctoris conſenſu. Qui ſecus faxit pœnæ illi ſunto ſententia excommunicationis, & aliæ mulctæ in proprio motu contentæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xxij. Nouemb. Anno Pontificatus ſui Nono.

REVERENDIS ADMODVM IN CHRISTO PATRIBVS,

Et Dominis omnibus Sacris Confeſſionibus audiendis præfectis,

MARTINVS AB AZPILCVETA DOCTOR NAVARRVS S. P.

NOTVM facio veſtris Paternitatibus, Patres admodum in Chriſto Reuerendi, ac domini mei, virum quendã admodum Illuſtrẽ, & Reuerendiſſimum pro magna, qua eſt in Deum Religione, dixiſſe mihi proximis diebus, ſe deſiderare, vt in reuerentiam diuinæ Maieſtatis, & ſui cultus obſeruantiam colligerem inſigniora loca Enchiridij noſtri de Oratione, & Horis Canonicis Sanctiſſimo Domino noſtro Gregorio XIII. Pont. Opt. Max. dicati, quibus commendatur, & probatur eſſe valde neceſſarium ſilentium, dum diuina (præſertim in choro) peraguntur; vt multi, qui ea celebrare tenentur, poſſent facile illa in vnum quaſi faſciculum florum coadunata odorari, & perſuaderi ad illa cum decenti grauitate, pauſa, & reuerentia celebranda. Qua re admiratus fui primum, quòd vir omnium, qui hanc ſacram curiam

ſuſtentant,& ornant publicis, priuatiſque rebus occupatiſſimus, cuperet,vt officia diuina, quibus ille vti canonicus ſolet intereſſe, cum debito ſilentio, iuſtaque pauſa, & reuerētia fierent:cum alij ordinis ſui viri paucioribus occupati ſoleāt deſiderare,immo petere à ſancta Sede Apoſtolica libertatem à ſeruitute etiam priuatim ea recitandi. Deinde cœpi mecum reputare id ei forte ideo ſpecialiter à Spirituſancto æterno Deo noſtro inſpiratum, quòd eius miniſterio deliguntur fere omnes, qui à ſanctiſſimo Domino noſtro ad ſacerdotia promouentur. & æquum eſt eum curare,vt illi debite ea faciant.Ob idque conſtitui eius voto,quod mihi pro iuſſu eſſe debebat,ſatisfacere. Et quoniã ille nomen ſuum tacitum eſſe voluit, decreui hanc opellam eius iuſſu ſuſceptam, per quam confeci hunc cōmentariolum breuē quidem, ſed non omnino pænitendũ in principium canonis in loco benedictionis. cauſſę quinctę quæſtionis quartæ per Gratianum noſtrũ inſerti veſtris Paternitatibus, quorũ ſancto labore, cura, & ſtudio Chriſtiani omnes in officio noſtro potiſſimũ (mea ſententia)continemur,dicare: eum veſtræ protectioni commendando, ſimulq. orando, vt dignemini illum veſtra lectione donare, & perſuadere nobis obligatis ad diuina officia canenda, vel recitanda, vobiſq. noſtra errata confitentibus,vt emendemus ea, & dolemus ad amuſſim, & dolabram, quam ex eo decerpere licet, in gloriam Domini Noſtri Ieſu Chriſti, qui veſtras admodum in Chriſto Reuerendas Paternitates ſeruet,proſperet,beetq. æternum. Amen.

MAR-

MARTINI AB AZPILCVETA DOCTORIS NAVARRI

COMMENTARIVS DE ſilentio in Diuinis Officijs, præſertim in choro ſeruando.

Cap. in loco benedictionis. 5. q. 4.

Concilium Toletanum Cap. 1.

IN loco benedictionis conſidentes Domini ſacerdotes, nullus debet aut indiſcretis vocibus perſtrepere, aut quibuſlibet tumultibus perturbare; nullis etiam fabulis vanis, vel riſibus agi; & , quod eſt deterius, obſtinatis diſceptationibus tumultuoſas voces effundere Et reliqua.

PRIMVS LOCVS.

SVMMARIVM.

1 *Silentium in altari, & choro neceſſarium.*
2 *Ruſticus qui hæc in grauium conuentu facit.*
3 *Canon generalis generaliter intelligendus, etiamſi maior ratio ſit in vna, quàm in alia ſpecie.*
4 *Canonem ſimilis ratio ad ſimilia extendit.*
4 *Rex immortalis cur magis, quàm mortalis honorandus.*
5 *Orans de ſolo illo, quod orat cogitet.*

5 *Orantis pectus Deo pateat,& hoſti claudatur.*
5 *Orans cogitet quem alloquatur: & audiat ſi vult à Deo audiri.*
6 *Orantis ſermo tranquillus ſit,& verecundus.*

1 Collecturus igitur ex noſtro Enchiridio de Oratione,& Horis Canonicis pręfata loca inſigniora,quibus commendatur, & concluditur, ſilentium eſſe valde vtile, decorum , & neceſſarium ad omnia diuina officia præſertim in altari,& choro peragenda,delegi principium huius decreti in loco benedictionis. 5. q.4. à noſtro Gratiano ſuo magno libro
2 Decretorum inſerti; poſteaque à Concilio Conſtantienſi & alijs,atque tandem à Concilio Tridentino ſeſſ. 2. c. 2. repetiti; quod illa verba nominatiui caſus, *Conſidentes Domini ſacerdotes*, mutauit in illa conuenientiora caſus ablatiui abſoluti, *Conſidentibus Dominis ſacerdotibus*. Primus itaque præfatorum locorum fundatur in prædicto principio d.c.in loco benedictionis. 5.q.4. quatenus probat, ruſticè,immodeſtè, ac inurbanè facere illũ,qui,conſidentibus in Synodo ſacerdotibus, indiſcretis,vel (vt in Concilio Tridentino eſt) immodeſtis vocibus perſtrepit,aut tumultibus,fabulis vanis,vel riſibus perturbat,& alia in ea vetita facit.

3 Neque plane huius argumenti vim reprimet, qui reſponderit, Decretum hoc probare tantum,id non licere in Concilio,ſiue Synodo ſacerdotum Domini,de quo nos non agimus ; & quòd à diuerſis non fit illatio.l.Papinianus. ff.de minorib. c. ad audientiam. de dec. Non, inquam huius argumenti vim reprimet, qui hoc reſponderit. Primo quia replicari poteſt, quòd canon hic generaliter loquitur de omni loco benedictionis,in quo Domini ſacerdotes conſidunt,& palam eſt ſacerdotes Domini conſidère,ſiue conſidere,cum in choro, vel altari ſimul ſedent,vel conſidunt : & canon generaliter conceptus generaliter eſt intelligendus, c.ſi Romanorum. 19.diſt.& l.de pretio.ff. de publi. in rem act. etiamſi maior ratio ſuadeat , vt includat magis vnam ſpeciem,quàm aliam, l.1.§. quod autem. ff. de aleæ luſu,& aleat. ergo hic canon etiam damnat eos, qui non verentur in altari, vel choro prædicta facere.

Secundo, quòd canon,& lex, quæ non eſt odioſa, ob ſimilitudinem rationis de vno caſu ad alium extenditur,l. non poſſunt. ff.de legib. c. dudum.de elect. at ſimilis,immo,eadem,vel maior ratio dictat,ne pręfata fiant in altari,vel choro,aut ſupplicationibus , & aliis actibus,quibus diuina officia fiunt: ergo tam ruſticè,immodeſtè,ac inurbanè peccant,qui prædicta faciunt,dum diuina peraguntur,quàm dum Concilium, vel Synodus ſacerdotum agitur.

4 Tertio

4 Tertiò, quòd canon etiam correctorius, & exorbitans à iure regulari extenditur ad alium caſum, ad quem ratio in eo expreſſa extenditur, l. ijs ſolis. & ibi Bald. C. de reuo. donat. ſaltem quando illa continet cauſam finalem: & ratio, cui innititur hic canon, eſt, vt in eo paulò inferius habetur, illud Iacobi epiſt. canoni. cap. 1. *Si quis putat, ſe religioſum eſſe non refrenans linguam ſuam; ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio*. Et illud Iſaiæ 32. *Erit cultus iuſtitiæ ſilentium*. quę quidem duo elogia eo neruoſius probant, ſilentium cum debita reuerentia magis eſſe in altari, & choro, atque alijs locis, quibus diuina officia peraguntur, ſeruandum, quàm in Synodo ſacerdotum, quo maiori Regi, & Domino immediate in illis, quàm in hac ſeruitur; quoque maior reuerentia, & modeſtia debetur Regi ſæculorum immortali, inuiſibili, Deo præſenti, omniaq. pœnitiſſimè cernenti; & tandem iudicio, quod æternum durabit, iudicaturo; quàm Synodo mortali, viſibili, ab illo creatæ, atque paſtæ: & tandem iudicandæ, in ignemque æternum dimittendæ, aut in æternam gloriam eleuandæ.

SECVNDVS LOCVS.

5 SECVNDVS locus eſt in ea parte, eiuſdem Enchir. c. 2. nu. 1. quæ habet celeberrimum illud Sancti Cypriani ſerm. 6. elogium, cui explicando totum præfatũ Enchiridion incumbit. *Quando ſtamus, inquit, ad orationem, fratres dilectiſsimi, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus: cogitatio carnalis omnis, & ſecularis abſcedat: neque quidquam tunc animus aliud, quàm id ſolũ cogitet, quod precatur. Ideo, & ſacerdos ante orationem parat fratrum mentes dicendo: Surſum corda, vt dum reſpondeat plebs: Habemus ad dominum, admoneatur nihil aliud ſe, quàm dominum cogitare debere. Claudatur contra aduerſarium pectus, & ſoli Deo pateat, nec ad ſe hoſtem Dei tempore orationis venire patiatur.* Per quæ nos Beatus Cyprianus vehementer hortatur, vt reuerenter, & attente oremus. Id quod etiam facit alio loco, vbi ſupra vnde cap. illud deſumitur, iis non minus elegantibus & politis verbis, *Quæ autem ſegnitia eſt alienari, & capi ineptis cogitationibus, & profanis, cum dominum deprecaris: quaſi ſit aliud, quod magis debeas cogitare, quàm quòd cum Deo loquaris?* Et paulo poſt. *Quomodo te audiri a Deo poſtulas, cum te ipſum non audias? vis eſſe Deum memorem tui, cum rogas, cum tu ipſe memor tui non ſis?* Idem & aliis verbis in eodem ſermone pag. 2. ſic ait. *Sit autem orantibus ſermo, & precatio cum diſciplina quietem continens, & pudorem. Cogitemus nos ſub conſpectu Dei ſtare, placendum eſt diuinis oculis, & habitu corporis, & modo vocis. Nam vt impudentis eſt clamoribus*

bus ſtreperè: ita contra congruit verecundo modeſtis vocibus orare. Idipſum paullo inferius in ea. pag. 2. efficit, dum ait. *Et quando in vnum cum fratribus conuenimus, & ſacrificia diuina cum Dei ſacerdote celebramus verecundiæ, & diſciplinæ memores eſſe debemus, non paſſim ventillare preces noſtras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam modeſtè Deo tumultuoſa locacitate iactare.* Quæ plane omnia, qui ſerena mente legerit, ſatiſque perpenderit, facile perſuadebitur, eos omnes, qui diuina officia ſine debito ſilentio, debitaque attentione agunt, non ſolum vtrumque male agere: ſed inurbanitatis, immodeſtiæ, indiſciplinæ, ac incogitantiæ, ſtultitiæque eſſe notandos: ideoque à collocutionibus in choro, & aliis locis, vbi ea fiunt omnino ceſſandum.

TERTIVS LOCVS.

SVMMARIVM.

7 *Affabilitas, quæ Chriſtiano mori repugnat, non eſt virtus.*
7 *Regem vt alloquens, ita Deum orans ſeruet hac.*
8 *Locutio cum alio interrumpit eam, quæ fit cum Deo.*
9 *Mora partem notabilem corrumpens non ſatisfacit.*
10 *Orans pellat cogitatus etiam de ſe non malos.*
10 *Oratio turris alta in terra viua fundanda.*
10 *Orationis altæ baſis imma humilitas.*
11 *Orationem vt precedere debet purgatio.*
11 *Attentio, & deuotio bene oranti neceſſaria.*
12 *Clamat in aure Dei non cordula muſica, ſed cor.*
12 *Animarum verba ſunt earum deſideria.*

7 TERTIVS locus eſt in ea parte c. 2. nu. 4. eiuſ. Enchi. quæ habet, peccare illos, qui (quod quottidianũ eſt) horis, & officiis diuinis admiſcēt iocos, riſus, cachinnos, aut extraria negotia, præſertim in choro, ſchãdalizando cęteros, & eorum mentes alienãdo à cogitatu diuinorum, & ſpiritualium: licèt nonnulli adeo cæcutiant, vt id honeſtæ affabilitatis, & ciuilitatis eſſe iudicent, exiſtimantes affabilitatem, & ciuilitatem vllam eſſe honeſtam, quæ Chriſtianis, & honeſtis moribus repugnet; ignorantiamque ſuam prodentes, qua ignorant id in diuerſis prohibitum eſſe locis. Eſt & idem tertius locus in ea parte, dict. c. 2. nu. 6. quæ habet, ex ſtatutis Eccleſiæ Gallicanæ, & ex pręfato ſermone Beati Cypriani, & aliis neotericis colligi; eum, qui mentis aciem vnà cum affectu voluntatis vult in Deum defigere, conſiderare debere primùm quanta cura

ſe componeret, ſi Imperatorem, aut Regem eſſet allocuturus, ne quid in geſtu corporis, aut verbis appareret, quod oculos ſuæ maieſtatis offendere poſſet: quamuis id non amplius ſit quàm hominem homini, & mortalem mortali loqui. Deinde, hęc conſiderando ſecum reputare debere, quanta ſollicitudine deceat, compoſitum eſſe illum, qui profecturus eſt ad Diuinę Maieſtatis thronũ, & ſedem; coram qua etiã angelicę poteſtates contremiſcunt; ne quid in eo ſit, quod Dei oculos
8 poſſit offendere. Tertio, conſiderare debere, quòd qui non audemus loqui Regi, niſi deflexis in terram genibus, non debemus Deo loqui ſecti, non dico corpore: ſed elati arrogantia. Et quòd qui veremur alloqui Regem abſque veſte munda, & niſi pexis capillis, facie lota, & forte ſuffita odoribus, ne aliquis fætor eum offendat; magis debemus vereri alloqui Deum conſcientia inquinata. Quarto, conſiderare debere illud cuiuſdam eruditi, *Multis principibus ſæculi locuturis precellentia illa humana tantum pudorem ingerit, vt eis, & vocem & memoriam adimat: & nos vociferando, atque cum alijs alia colloquendo, & velut aliud quippiam agendo alloquimur Deum noſtrum omnipotentem, & renes cordaque noſtra pænitiſſime circumſpicientem? Clamamus ad Deum: Exaudi domine orationem noſtram, & clamor noſter ad te veniat; & non audimus nec penſamus id, quod dicimus?* Per quæ quidem omnia aperte probatur id, quod propoſuimus. Nam ſi preces, quas facimus Deo inficit immodeſta geſtus, corporiſque compoſitio, magis profecto inficiet eas cum aliis collocutio; cum illa, vt palam eſt, quamlibet loquutionem, etiam, quæ habetur cum alio inficiat, quanto magis eam, quæ cum Deo habetur?

QVARTVS LOCVS.

9 QVARTVS locus eſt in ea parte, c. 10. nu. 9. eiuſd. Enchir. quæ habet, non ſatisfacere pręcepto recitandi, aut cantandi horas eos, qui dum recitant, aut cantãt, omittunt tantam partem verſuum, aut pſalmorum deglutiendo, corrumpendo, aut ſyncopando verba, ſyllabas, aut litteras, vt ex ita omiſſis, & corruptis fieret notabilis pars horæ. Ex hoc enim ſequitur propoſitum. Nam ſi qui præfato modo notabilem partem horæ omittunt, adeo peccant, vt non dicantur ſatisfacere pręcepto: à fortiori peccant qui extraria miſcent horis: cum grauius errent ii, quam illi. Si quidẽ ii nec bene, nec male pronunciant quidquam eorum, quæ omittunt, miſcendo extraria: illi vero ſic, ſaltem partem.

QVINTVS LOCVS.

10 QVINTVS locus eſt in ea parte Enchir. eiuſd. c. 12. nu. 7. illorum verborum Sancti Cypriani in c. quando. de conſ. diſt. 1. *Quando ſtamus ad orationem, fratres dilectiſſimi, cogitatio omnis ſecularis, & carnalis abſcedat.* Quæ quidem verba clare ſignificant, recitaturum exuere ſe, debere omni cogitatu carnali, & ſæculari. Quoniam non ſolum habent tempore orationis pellendos eſſe cogitatus malos: ſed generaliter omnes impertinentes: & conſequenter mixturam extrariorum, & impertinentiũ orationi: quod eſt noſtrum propoſitum probandum: quodque egregie confirmat illa ſex dicta Abbatis Iſaaci, apud Ioannem Caſſianũ coll. 9. cap. 3. Primum eſt, *Oratio eſt velut turris alta, quæ fundata in terra adſcẽdit vſque ad cælum: ideoque ad eius ædificationem ante omnia remouenda eſt ab anima omnis mortua terra vitiorum, & prauarum cogitationum, donec deueniatur ad terram, vel rupem, vt aiunt, viuam.* Secundum; *Sollicitudo rerum carnalium generaliter abſcindenda eſt.* Tertium, *Nullius negotij, cauſſæue non ſolum cura: ſed ne memoria quidem dum oratur admittenda. Detractiones, vaniloquia, ſeu multiloquia, ſcurrilitates quoque ſimiliter amputandæ. Iræ præ omnibus, ſiue triſtitiæ perturbatio funditus eruẽda: concupiſcentię carnalis, ac philargyriæ noxius fomes radicitus euellendus.* Quartum, *Iacienda ſunt primum profunda humilitatis inconcuſſa fundamenta, quæ ſcilicet turrim pulſaturã cælos valeant ſuſtinere.* Quintum, *Superędificanda virtutum ſpiritualis ſtructio.* Sextum, *Ab omni diſcurſu, atque euagatione lubrica animus inhibendus, vt ita paulatim ad contemplationem Dei, ac ſpiritualis intuitus incipiat ſubleuari. Quidquid enim ante orationis horam anima noſtra conceperit, neceſſe eſt, vt orantibus nobis, per ingeſtionem recordationis occurrat. Quamobrem quales orantes volumus inueniri, tales nos ante orationis tempus pręparare debemus.* Et paulo poſt. *Et idcirco quidquid orantibus nobis nolumus, vt irrepat, ante orationem de abditis noſtri pectoris extrudere feſtinemus.*

Per quæ omnia plane probatur, non ſolum non debere nos abſtinere, dum oramus, ab extrariis, & ab oratione, quam agimus alienis: ſed etiam immediate ante orationis initium, cum nos ad illam faciendam paramus: quamuis hoc conſilii tantum, non pręcepti ſit, ſicut & illud Sapientis, *Ante orationem prępara animam.*

SEXTVS LOCVS.

11 SExtvs locus eſt in ea parte, c. 13. nu. 2. & 3. quæ habet orationem fieri debere cum attentione; idque ex multis, quæ in prædicto elogio S. Cyprianus ſer. 6. ait, colligi, nempe ex illo. *Nec quidquam tunc* (ſcilicet quando oramus) *animus aliud, quam id ſolum cogitet, quod precatur*. Et ex illo ad aliud propoſitum ſupra ponderato, *Vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus*. Et ex illo, *Claudatur contra aduerſarium pectus, & ſoli Deo pateat*. Quod ipſum colligitur ex illo Concilii Generalis c. 9. §. hęc igitur. de celeb. miſ. *Pręcipientes diſtricte in virtute obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum, pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus ſtudioſe celebrent, pariter & deuote.* Cuius gloſſa penultima, & vltima referunt verbum illud, ſtudioſe, ad pronũciationem exteriorem: & verbum, deuote, ad interiorem. Id ipſum etiam colligitur ex illo Apoſtoli, ad Epheſ. 5. relato in c. cantantes 92. diſt. *Cantantes, & pſalẽtes in cordibus veſtris Domino.* Super quibus verbis inquit S. Hieronymus, *Audiant hoc hi, quibus in eccleſia pſallendi officium eſt Deo non voce ſed corde cantandum.* Cuius gloſſa poſtquam dixit illi verbo, *voce*, poſito in contextu eſſe addendum aduerbium, *tantum;* quia voce quoque cantandum eſt, licet magis corde, adiicit verſus illos continua memoria dignos.

Non vox ſed votum: non cordula muſica ſed cor.
Non clamans, ſed amans cantat in aure Dei.

12 Idipſum etiam colligitur ex illis tribus, quæ gloſſa cle. 1. de reliq. & vener. ſanct. in id allegauit: pura ex illo Sancti Pauli ad Cor. 14. *Si orem lingua mens mea ſine fructu eſt*. ex illo Sancti Auguſtini. *Quid prodeſt ſtrepitus labiorum, ſi mutum eſt cor.* Et ex illo diui Gregorii: *Animarum uerba ſunt ipſa deſideria: in quibus tanto quis minus clamat, quanto minus deſiderat.*

Per quę omnia ea ratione ǒcfirmatur id, quod probare inſtituimus; quia ea efficaciter monſtrant, eum, qui orat, debere abſtinere ab omnibus, quæ orationis deuotioni & attentioni repugnant: & palam eſt locutionem rerum ab attentione alienarum maxime repugnare deuotioni orationis (præſertim vocalis) quæ eſt locutio rerum ab eis diuerſarum; cum vno, & eodem tempore nequeat quis diuerſa loqui, l. vbi repugnantia. ff. de reg. iur. & c. ſollicitudinem. de appell.

SEPTIMVS LOCVS.

SVMMARIVM.

14 *Legentes vel ſubſignantes litteras in choro vt peccant.*
13 *Orans caueat impedientia attentionem etiam ſodalium.*
13 *Silentium mirum chori monachorum Aegypti.*
14 *Occaſio ad melius attendendum quęrenda.*
14 *Attentio mira monachorum Aegypti.*
15 *Silentium etiam in ſacriſtijs neceſſarium.*
15 *Anima ad orandum pręparanda.*
16 *Silentij cauſſa vbi ſolo nutu loquendum.*
16 *Miniſtrantium collocutio in altari, & choro, &c. indecenſ.*
17 *Sacriſta vt nugantes, & loquentes caſtigabit.*
18 *Eccleſia pellat quaecumque officia turbant.*
18 *Deambulare, mendicare, &c. in eccleſia malum.*
19 *Anticipatio verſus in pſallendo quam mala.*
19 *Pauſa in medio verſus pſallenti, quam bona.*
19 *Anticipantem non puniri à Prælato, vt malum.*

13 SEPTIMVS locus eſt in ea parte eiuſd. Enchir. cap. 13. nu. 24. quæ habet, beneficiarios legētes, vel ſcribentes, aut ſubſignantes litteras, prouiſiones, vel alia in choro, etiamſi ſint capituli, dum in eo canitur vel recitatur, bis peccare, nunc mortaliter, nunc venialiter. Primo, quia ſeipſos diſtrahunt; deinde vero, quia ſodales à bene attendendo auertunt. Equidem, vt de aliis taceam, qui ſunt me conſtantiores in continendo mentis oculos in Deo defixos, dum orant, vel recitant, de me fateor, quòd quando video dari meis ſociis prouiſionem, aut epiſtolam in choro ſubſcribendam, & eos manibus pennas ad ſubſcribendū tenere, mens mea diſtrahitur, vel ad cogitandum de illo, quod prouiſio continet, ſi ſciam; vel ad dubitandum quid contineat, ſi neſciam: vel ſaltim cogito de illa ſubſcriptione, quæ planè cogitatio me ab attentione officii auocat. Et eiſdem prorſus modis peccant illi, qui loquuntur in choro, alii in aurem; alii vero ſublata elataque voce aliquid à recitatione alienum. Loqui quippe & audire ita ſunt actus exteriores, ſicut legere, & ſcribere; & que ac illi repugnant attentioni ad recitandum, & canendum requiſitæ. Et ideo qui hęc facit, dum tenetur vocaliter orare, vel orantem vocaliter audire, grauiter peccat.

OCTAVVS LOCVS.

14 OCTAVVS locus eſt in ea parte c.16. nu. 2. & 3. eiuſ. Enchir. quę habet ex præfato Cypriani elogio colligi, orantes non ſolum vitare debere cauſſas, quę noſtram attentionem turbant: ſed etiam eas, quæ attentioni ſociorum impedimento ſunt. Et merito quidē, cum peccati occaſionē præſtās peccet; ſicut cauſam damni dans damnū dediſſe dicitur. c.fi.de iniur.l.qui occidit.§.in hac.ff.ad leg. Aquil. Quod firmatur teſtimonio Ioannis Caſſiani de monahis Aegyptiacis teſtantis, quod horis, in quibus ad orandum, & recitandum multitudo eorum innumera conueniebat, tantum erat eorum ſilentium, vt nemo alius pręter pſalmi pręcentorem ibi adeſſe videretur, præſertim eo tempore, quo oratio collecta dicebatur, in quo, vt ipſe ſcitè, & venuſtè ait, *Non ſputum emittitur, non excratio obſtrepit; non tuſſis interſonat, non oſcitatio ſomnolenta diſſutis malis, & biantibus trahitur: nulla ſuſpiria, etiam adſtantes impeditura promuntur; nulla vox abſque ſacerdotis prece concludentis auditur pręter eam, quam anima accenſa, & ignita non potens intra ſe retinere, quaſi deuotione crepans vi fractis oris repagulis emittit.* Qui idem protinus hęc ſubdit, *Illum verò, qui conſtitutus in tempore mentis cum clamore ſupplicat, aut aliquid horū, quæ prædiximus ex faucibus ſuis emittit, aut præcipue oſcitationibus pręuenitur, dupliciter peccare pronunciant. Primo quòd orationis ſuæ reus ſit; quòd eam ſcilicet negligēter offerat Deo. Secundo, quòd indiſciplinato ſtrepitu alterius quoque, qui forſitan ardentius orare potuit, intercipit ſenſum.* Quę omnia ea ratione probant propoſitum noſtrum; quia non ſolum expreſſe damnant collocutionē in choro: ſed etiam obligant ad abſtinendum in eo à multis aliis, quæ longeminus, quàm collocutio debitę attentioni aduerſantur.

NONVS LOCVS.

15 NONVS locus eſt in ea parte eiuſdem cap. 16. nu. 28. eiuſd. Enchir. quæ habet, peccare illos, qui rident, iocantur, narrant fabulas, vel hiſtorias profanas: aut clare, ſeu elata voce, loquuntur; & qui rixantur in Sacriſtiis, ſiue Sacrariis, ſaltem tempore, quo alii ſe ibi præparant, & veſtiunt, vt ſtatim celebraturi miſſam egrediantur: quoniam ea proculdubio plurimum perturbant, atque diſtrahunt volentem deuotè celebrare. Per quod ea ratione probatur propoſitum noſtrum, quod magis neceſſarium eſt ſilentium in eis, qui actu, ſiue actualiter in choro, vel alibi voce orant, vel pſallunt, quàm præparantibus, & induentibus ſe in Sacriſtia ad miſſandum, vel miniſtrandū extra illā in altari, vel choro.

DECIMVS LOCVS.

16 DEcimus locus eſt in ea parte cap.17. nu. 1. eiuſdē Enchir. quæ habet ex præcitato beati Cypriani elogio colligi, diligenter procurandam eſſe occaſionem, & præparationē, quo magis, & melius orationi attendere poſſimus: colligitur autem ex illis verbis, *Soli Deo pateat pectus, nec aduerſarium tempore orationis ad ſe venire patiatur*. Et is aperit Deo pectus ad eum excipiendum, & impedit aduerſarium, ne veniat, qui orare volens procurat occaſiones, & media, quibus magis ad attendendum orationi moueatur. Cui mirè conſonat illud Sapientis, Eccleſi.18. *Ante orationem præpara animam*. Idem colligitur ex ea parte præd.c.17.nu.15.quę habet laude, imitationeq. dignos eſſe illos, qui vt in choro, ita in ſacriſtia, vel alibi quando ſe parant ad miſſandum, vel miſſant, aut vadunt ad miniſtrandum eis, vel miniſtrant, tantum ſilentium ſeruant, vt nullum verbum loquantur, niſi quod ſolo nutu ſignificari nequeat. Quod tam gratum, & decorum apparet coram & Deo, & hominibus, quàm ingrata, & indecora eſt illa Epiſcoporum cum Dignitatibus, & Presbyterorum cum Diaconis, vel Subdiaconis propinquis in altari, choro, & proceſſionibus collocutio; & quam indecentes illæ interrogationes, & reſponſiones eorum, quas de variis extrariisq. rebus faciunt, dum in ſacriſtia, ſeu in ſacrario ſe induunt ad miſſandum: vel dum in ſupplicationibus, & proceſſionibus incedunt: quamuis peius faciant illi, qui rident, qui clamant, qui rixantur. Hos enim merito quis interrogabit, an facerent illa in aula Regis terreni, & an credant, quòd tanto Rex terrenus eſt minor cæleſti, quanto mortalis immortali, & creatura creatore? Per quæ quidem omnia aperte concluditur debere nos vitare colloquia, cum oramus: & alia, quæ attentionem orationi debitā minuunt. Et planum eſt attentionem orationi debitam per collocutionem pſallentium in choro valde minui, ne dicam, omninò tolli; ideoque merito eſſe vitandam, immo & abominandam.

VNDECIMVS LOCVS.

17 VNdecimus locus eſt in ea parte cap.18.nu.97.eiuſd. Enchirid. in qua refertur conſtitutio, quæ ſequitur Braccharenſem conſtitutionē digna, quæ vbiq. gentiū ſeruetur. *Theſaurarius nō permittat miniſtris nec beneficiarijs quidem tam elata in Sacrario voce loqui, vt foris audiatur: nec vaniloquio, aut nugis ſe ibidem recreare, quin è veſtigio pœnam his iniungat, & ca-*

& caſtiget. Quod ſi facere nequiuerint, indicet Præſidenti; ad quem vt reliquum regimen eccleſię; ita correctio huiuſmodi delinquentium pertinet. Idem Theſaurarius acerbè reprehendat pueros, & puberes in dicto Sacrario ſtrepitum excitantes, aut malum exemplum præbentes, ſubiturus pœnā viginti obolorum quotiens in hoc negligens repertus fuerit. Per quæ quidē ea ratione confirmatur id, quod intendimus, quòd ſilentiū in altari, & choro, & aliis locis magis eſt neceſſarium pſallentibus; quàm pueris miniſtrantibus in ſacriſtia eis, qui ſunt extra illā in altari miniſtraturi.

DVODECIMVS LOCVS.

18 DVODECIMVS locus eſt in ea parte c.22. nu.52. eiuſd. Enchir. quæ declarat illa, quæ nouè vetuit, iuſſitque grauiter puniri fœl. recor. Pius V. in extrauag. quę incipit, quamprimum. poſita inter conſtitutiones eius pag. 12. Quorum primum eſt. *Ceſſent in eccleſiis riſus immoderati, & alia quæcumque diuinum officium perturbare poſſunt.* Secundum, *Nullus intra eccleſias deambulare audeat ſiue prę ſumat, dum celebrantur ſacra miſſarum myſteria, & alia diuina officia.* Tertiū, *Nemo dum celebrantur diuina officia, aut prędicatur, vociferetur.* Quartū, *Prohibeantur pauperes mendicare, ſeu eleemoſynas petere intra eccleſias tempore miſſarū, prædicationū, aliorumq. diuinorum officiorum.* Quæ omnia ea ratione probant propoſitum noſtrum, quòd palam eſt, ſilentium eſſe magis neceſſarium in choro ipſis pſallentibus, quàm extra illum in ipſo eccleſiæ corpore. Et quod ſi riſus puerorum, & deambulatio virorum, & mendicatio pauperum, facta dum ſacra miſſarum myſteria, & alia diuina officia peraguntur in aula, ſeu eccleſiæ corpore adeo viſa ſunt pientiſs. Pio vitanda; merito debent videri abominanda, & execranda colloquia, & confabulationes ipſorummet recitantium, & pſallentium, cum ſint diuinis laudibus, quas proferunt, incompatibilia.

DECIMVSTERTIVS LOCVS.

19 DECIMVSTERTIVS locus eſt in ea parte c.16. nu.25. & 26. eiuſd. Enchir. quæ probat, grauiter peccare illos, qui recitando, vel canendo anticipant verſus, omittentes audire vltimam ſyllabā verſuum, quos eius ſocius, vel alius chorus recitat, vel canit. Nam pręterquam quòd audire non ſinunt partem horarum, quam audire tenentur, prætermittunt, & confundunt intellectum eius, quod canitur, vel recitatur; & cauſſam dant proprię, & alienæ diſtractioni, omittendo audire finem verſus aliorū,

& non

& non permittendo, principium ſui audiri ab aliis. Qui ſane defectus intolerabilis eſt, & ſatis vetatur per prohibitionem trăſcurſionis Concilii Vienenſis clem. 1. de celeb. miſ. damnatæ per illa verba, *Trăſcurrendo, & ſyncopando.* Et clarius per illa verba, *Curſim & feſtinanter*, cuiuſdam Decreti eccleſię Gallicanæ tit. quomodo diuina officia celebren. §. 1. inferius ad verbum referendi, quo pręcipitur facere pauſam in medio verſuum. Quod vt ponderandum eſt in fauorem eorum, qui (vt par eſt) ſolliciti ſunt ſeruare puncta, & pauſas in medio verſuum: ita retorquendum eſt contra eos, qui recuſant in eorum fine facere quod agunt in eorum medio: & incipiunt ſuum verſum antequam audiant finem alterius. Perſpicuum enim eſt, magis neceſſariam eſſe pauſam in fine totius periodi, & ſententię integrę, quę communiter perficitur in fine verſuum, quàm in medio eorum, vbi communiter non perficitur. Et quidem meo iudicio hic abuſus omnium eorum, qui in horarum cantu atque recitatione admittuntur, maximus, periculoſiſſimus, notiſſimus, frequentiſſimus, & minime à Pręlatis emendatus, vt alibi diximus, videtur mortifer; ideoque ab eis ex choris auferendus. Per quod illa ratione efficitur planum propoſitum noſtrum: quoniam longe peius eſt, colloqui extraria verbis orationis; quàm anticipare, vel poſtponere illa, & conſequĕter ſi anticipatio eſt mala, collocutio extrariorum erit peior, & peſſima.

DECIM. QVART. LOC.

SVMMARIVM.

20 *Canonicus quis non cantans in choro queat excuſari.*
21 *Oratio meretur, impetrat, & conſolatur.*
21 *Orationis, & cuiuſuis boni fructus ſummus gratia.*
21 *Gratia gratum faciens omni bono naturali præcellit.*
21 *Peccatum veniale vt non perimit, ſed impedit gratiam.*
21 *Oratio infecta veniali pœnam meretur.*
22 *Oratio nuntius, curſor fortis, penetrans, & actus cum primis omnium Deo gratus.*
22 *Orandi ad munus cur oportuit quoſdam inſtitui.*
22 *Orandi munus ſacrarum perſonarum præcipuum.*
23 *Oratio etiam voluntaria mala, ſi non bene fiat.*
23 *Dei opus negligenter faciens maledictus.*
23 *Hoſpitans gratis peccat ſordide hoſpitando.*

DECI-

20 DECIMVS QVARTVS locus deſumitur ex illis duabus partibus c.10. nu.47. & c. 32.nu.41. eiuſd. Enchir. quę coniunctæ probant peccare, & non lucrari diſtributiones quotidianas Canonicos, & Dignitates, qui nō cantant in choro cum aliis; quamuis verſum ſui chori voce ſubmiſſa recitent, & vocē alterius rectè audiant: & quòd difficillimum eſt defendere contrarium. & quòd nemo vſque ad nos quod ſciamus, modum rectè defendendi tradidit, etiam qua parte cantus ille iure humano eſt præceptus. Per quod illa ratione noſtrum inſtitutū concluditur, quòd longe peius eſt colloqui extraria orationi, quæ fit in choro, quàm tacere, vel ſubmiſſa voce ſine cantu dicere ſui chori verſum audiendo rectè verſum alterius: & conſequenter ſi hoc eſt malū, longe peius eſt illud.

DECIMVS QVINTVS LOCVS.

21 DECIMVS QVINTVS locus deſumitur ex iis, quæ habentur in multis partibus eiuſdem Enchiridii; puta ex ea cap.15. nu. 3. quæ habet orationis tres principales & diſtinctos effectus eſſe, ſecundum ſanctum Thomam communiter receptum, mereri, impetrare, & conſolari. Et ex ea cap. 20. nu. 34. adiunctis eis, quæ traduntur à S. Thoma recep. 2. 2. q.83. art. 15. quę habet orationum, & aliorum bonorum operum maximos fructus eſſe impetrare gratiam gratum facientem, vel mereri eis augmentum, quam eſſe maius donum, quàm omnia naturalia à Deo nobis data affirmat idem S. Thomas receptus 1.2.q.113. art.9. ad 2. in Manua. Confeſ. pręlu.7.nu.22. à nobis relatus. Et ex ea parte cap.3. num.49. ſub fin. & cap. 20. nu. 36. quæ habet per nullum opus quamlibet ex ſe bonum mereri nos gratiam, ſi eſt malum, ſaltem venialiter, immo demereri pœnam ob illud. Et quòd licèt gratia iam quæſita non amittatur ob peccatum veniale ſecundum S. Thomam 2.2.q.24. art.vlt. receptum: impeditur tamen eius adquiſitio, aut auctio per peccatum veniale. Ita quod ob nullum bonum, etiam de ſe pręcellentiſſimū quæritur gratia præfata, ſi qua parte, vel minima eſt peccatum veniale, vt in præfato Enchir. c.3.nu.49. ex S. Tho. d.art. vlt. adiun. q. 87. art. 1. & 89. art.1. in prima ſecundæ, latius tradidimus.

Per quæ plane omnia ea ratione cōcluditur, quod intendimus: quoniam cum maximum orationum noſtrarum lucrum ſit impetrare gratiam Dei gratum facientem; cumq. hoc lucrū amittamus quotieſcunque orando ſaltem venialiter peccamus; cumq. præcipuus beneficiariorum ſaltem inſeruientium in choro labor ſit diuina officia cantare, vel

recitare; cumq. colloqui extraria cantando, vel recitando illa, ſit ſaltem veniale peccatum; conſequens profectò eſt, vt quilibet vir prudens, & cordatus abſtinere debeat ab huiuſmodi colloquijs, ne præcipuorũ operũ ſuorũ præcipuum, & maximũ lucrũ miſere perdatur; cum eodẽ immo leuiori labore corporis, & animi feliciter poſſit illud quærere.

DECIMVS SEXTVS LOCVS.

22 DECIMVS SEXTVS locus deſumitur ex multis partibus ſimul coniunctis; ſcilicet, ex ea cap. 1. prælu. 1. nu. 1. eiuſdem Enchir. quæ habet, orationem eſſe actum cum primis omniũ, qui Deo grati ſunt eminentem, & ſublimem, iuxta illud Abbatis Iſaaci in collat. patrum, collat. 9. *Sicut ad orationis perfectionem omnium tendit ſtructura virtutum: ita niſi huius culmine omnia fuerint colligata, atque compacta, nullo modo firma poterũt, vel ſtabilia permanere*. Et ex ea eiuſd. cap. nu. 3. quæ habet, orationem eſſe noſtrum ad Deum nuntium, & veredarium, ſiue curſorem, & legatum neceſſarium impigrum, & fortem ad penetrandum omnia, & perueniendum ad conſpectum Dei, & in impetrando donec impetret perſtandum. Et ex ea c. 12. nu. 2. eiuſd. Enchir. quæ habet, oportuiſſe inſtituere homines ſacros, qui munere orandi ad Deum publico fungerentur ad agendas ei nomine populi Chriſtiani gratias pro beneficiis acceptis: & ad impetrandum indeſinenter noua, quibus inceſſanter egemus. Et ex ea c. 13. nu. 37. c. 21. nu. 7. & miſcel. vlt. n. 144. quę habet, munus præfatum eſſe præcipuum omnium, quę prædictis hominibus ſacris ab Eccleſia Chriſtiana iniunguntur. Cum igitur magna, grauia, ſacra, & neceſſaria grauiter, reuerẽter, religioſe, atque ex animo ſint tractanda, & exigenda, iuxta S. Dionyſium c. 1. de myſtica Theolo. & c. 2. & 3. de diuin. nomi. conſequens eſt, pſalmos in choro, aliaq. eccleſiaſtica officia diuina non vtcumque, & velut aliud agentibus miniſtris, eſſe dicenda: ſed modeſte, grauiter, cum iuſto ſilentio, iuſtaque intentione animi, & reuerentia peragenda.

DECIM. SEPTI. LOC.

23 DECIMVS SEPTIMVS locus depromitur ex ea parte cap. 13. nu. 39. eiuſd. Enchir. quę habet, non ſolum orationem præceptã, ſed etiam tantum conſultam, & omnino voluntariam fieri debere cum iuſti ſilentii, iuſtæq attentionis, & reuerentiæ circunſtantiis; adeo quidem, vt qui eam ſine illis facit, etiam ſi id faciat ſolus, & extra locum ſacrũ, & ſit laicus, peccet ſaltẽ venialiter. Vnde plurimi peccant orando, & recitando pſalteriũ, vel roſa-

rium Virginis Mariæ, aut quiduis aliud, quod non tenetur recitare præcepto: ſed tantũ conſilio, vel voluntate id faciant. Tum ob illud Hieremiæ 25. cap. *Maledictus homo, qui opus Dei negligenter facit*. Tum quia qui hoſpitio excipit aliquem virũ reuerendum, quem non tenetur præcepto excipere, peccat, ſi eum ſordide, & immodeſte tractet, vt colligitur ex cap. 1. Malachiæ, peccare illum, qui offert Déo, vel Principi hœdũ cæcum, vel abhominabilẽ; etiamſi offeratur ab eo, qui nullum tenetur eis offerre. Debet etenim aut non excipere, aut non offerre; aut bene cũ debitis circumſtantiis id facere. Igitur ſi qui orat voluntarie, ſine vlla obligatione, etiam ſolus & in deſerto, peccat ſaltim venialiter, orando ſine debito ſilentio, debitaq. attentione, aut aliis circumſtantiis ad bonitatem orationis requiſitis; quanto magis peccabit, qui ex præcepto Eccleſiæ tenetur id facere? & maxime ſi ſtipẽdia, vel alimẽta iuſta ob id accipiat; quales ſunt fere oẽs, qui tenẽtur in choris recitare, vel pſallere, ſiue ſint canonici ſæculares, vel regulares, ſiue monachi, aut monachæ.

DECIMVS OCTAVVS LOCVS.

SVMMARIVM.

24 *Pſallit quis ſapienter, & quàm magna illa lucra.*
24 *Pſallit quis inſipienter, & quanta is perdit.*
24 *Pſallit quis grate, & quis ingrate.*
25 *Oranti male debetur pœna Inferni, vel Purgatorij.*
25 *Pœna Purgatorij orantis male quàm magna.*
26 *Orationes quattuor primariæ, quæ optime dicendæ.*
26 *Orationes optimæ quæ dicebantur peſſime.*
27 *Horæ canonicæ inuentum humanum, & optimum genus orandi.*
27 *Orabit attente ſic aſſuefactus.*
27 *Pſalmus,* Beati immaculati, *qui per quattuor horas diuiſus quottidie canitur, aut dicitur ſapide dicendus, quomodo ſic dicetur.*
28 *Anticipatio verſus iterum damnatur.*
28 *Numquam nimis dicitur, quod numquam ſatis dicitur.*
29 *Pater noſter de gentil home quod.*
29 *Exhortatio ad bene pſallendum, & cantandum.*
30 *Munus præcipuum cleri pſalmus publicus, & priuatus.*
30 *Clero necunde tantus honor, & gloria, quantus de bona horarum recitatione in finem vitæ continuata.*

24 DECIMVS OCTAVVS locus deſumitur ex ea parte miſcella. 63. de Oratio. nume. 138. quæ docet illos qui pſallunt ſapiener quærere ſibi maximos fructus horarum canonicarum; qui ſunt gratia gratum faciens, charitas, quæ

eſt ipſamet gratia, vel inſeparabilis ab ea, mentis ſerenitas, conſolatio, voluptas ſpiritualis; & gaudium eam plerumque conſequentia: iuxta illam adhortationem propheticam Pſa. 46. *Pſallite Deo noſtro pſallite, pſallite, Regi noſtro pſallite. Quoniam Rex omnis terræ Deus: pſallite ſapienter.* Et contra illos ea perdere, aut non quærere, qui pſallunt eas inſipienter. Illi autem pſallunt ſapienter, ſecundum varias expoſitiones, qui pſallunt intelligenter, diſcretę, deuote, ſapide, ac grate. Intelligenter autem pſallunt, qui non ore tantum; ſed etiam mente id faciunt. Diſcrete vero, qui ordine, tempore, & loco ab Eccleſia catholica ſtatis id agunt, vt ſignificamus c. 3. nu. 52. & c. 5. & 10. eiuſd. Ench. Deuote autem qui animo, voluntateque famulandi, & placendi Deo id faciunt, iuxta alibi dicta. Sapide vero quibus ſua ſapit oratio; hoc eſt quos delectat memoria Dei, & diuinorum, quæ pronuntiant, iuxta illud, *In meditatione mea exardeſcet ignis;* nempe amoris, & ſanctę voluptatis ex eo naſcentis. Porrò illi pſallunt grate, quorum oratio Deo ſapit, & eſt ei gratia, ideſt, facta in ſtatu gratiæ bene moraliter abſque vllius circumſtantiæ ad bonitatem actus neceſſariæ defectu, iuxta ea, quę c. 6. nu. 2. eiuſd. Enchir. tradimus. Itaque qui nõ pſallit ſapienter, ſaltim grate, ita quòd pſallendi actus ſit Deo gratus, perdit (pro dolor) omnia præfata bona quæ ſapienter pſallentes lucri faciũt immo fit reus pœne, quę æterna eſt, Inferni, aut Purgatorii, quæ temporalia quidem eſt: ſed ſecundũ S. Auguſtinũ, tãta vt ſuperet omnia, etiã maxima huius ſęculi tormenta. Cum igitur collocutio extrariorum in choro, vel alio loco, dum diuina officia peraguntur ſit peccatum ſaltẽ veniale: & conſequenter efficiat, ut qui colloquitur non pſallat ſapienter, ſaltem Deo grate: & qui ſic non pſallit pręfata grãdia bona perdat, immo grauia damna incurrat, conſequitur omnem hominem prudentem, dum diuina facit, ab ea abſtinere debere.

DECIMVS NONVS LOCVS.

25 DECIMVS NONVS locus deſumitur ex ea parte Miſcell. vlti. de orat. nu. 139. & 140. & tot. miſcel. & miſcell. 33. num. 48. quæ habet, magnum operæ pretium facturum eum, qui le aſſuefecerit dicere, *Pater noſter, Aue Maria. Deus in adiutorium. Gloria patri. & Salue regina* horis & modis in dict. miſſcell. vlt. nu. 139. à nobis ad hoc expreſſis; nẽpe quod aliquanto tẽpore ſingulis diebus mane dicat ſemel vnum, *Pater noſter.* præconcipiendo iuxta dicta Miſcell. 34. nu. 1. mente reuerenti, & humili Deum omnipotentem vbique pręſentem, & preces noſtras vbique audire dignantem: & continuo reuerenter, & amanter alloquatur Sacroſanctam, & Diuinam eius Maieſtatem vt præſentem, preceſque noſtras

ſtras vbique auſcultantem verbis illis, *Pater noſter.* attendens ſoſum ad eius verba, vel ad eorum ſignificata, vel ad ipſummet Deum ſic præconceptum ſine mentis ad alia euagatione quo ad eius fieri poterit. Et quòd idem ſingulis diebus veſperi dicat ſemel vnam, *Aue Maria.* imaginando glorioſiſſimam Deiparam virginem angelicam ſalutationem audientem, aut dulciſſimũ, ac ſuauiſſimum puerum Ieſum in vlnis tenentem, & amanter geſtantem; aut in cælis glorioſiſſime regnantem; aut aliquid de dictis Miſcell. 34. nu. 50. agẽtem, & preces noſtras audire dignantem. Et continuo ita imaginatam verbis illis: *Aue Maria,* reuerenter, & amanter alloquatur, attendendo ſolum ad ipſam eandem, & ad præfatorum verborum ſignificata ſine mentis ad alia euagatione quoad eius fieri poterit. Et cum aliquo tempore hoc fecerit, cõſuetudinemque facile id faciendi quæſierit, nitatur aliquanto alio tempore alloqui quottidie mane ſemel Deum modo ſupradicto præconceptum per verba illius verſiculi à nobis c. 9. nu. 4. euſd. Enchir. valde dilati: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina.* Et per verba illa alterius numquam non reuerendi, & non ſuſpiciendi, *Gloria Patri, & Filio, & Spirituiſancto.* attendens ſolum ad eum, à quo petit adiutorium, & cui gloriam impendit; & ad ſignificata verborum, quibus id facit ſine mentis ad alia euagatione quoad eius fieri poterit. Veſperi autem ſalutet, & oret piiſſimam Virginem Mariã, vti prædictum eſt, immaginatam verbis totius, *Salue regina*, vel ſaltem harum duarum partium. *Salue regina mater miſericordię, vita, dulcedo. ſpes noſtra ſalue; & Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende*, attendens ſolum ad eam ipſam, & ſignificata verborũ, quibus eam ſalutat, & orat ſine mentis ad alia quo ad eius fieri poterit euagatione. Qua quidem duplici conſuetudine, qui ſe munierit, & aſſuefecerit, aſſequetur multa commoda; & in his primum, quòd non offendet tantum Deum, Opt. Max. eiuſdemque piiſſimam, glorioſiſſimamque Virginem matrem, quantum multos (quorum de numero nos quoque fuiſſe dolemus) vidimus offendere recitãdo prædicta quattuor: quę cum intelligentius, attentius, reuerentius, deuotiuſque, quã alia multa recitare deberent: minus tamen intelligenter, minus attente, minuſque reuerenter, & deuote, magiſque feſtinanter, quàm vlla alia quaſi contemptim recitant: & conſequenter ſaltem venialiter peccãdo, quæ maxima grandium bonorum iactura eſt per dicta Miſcell. 61. nu. 137. Secundum, quòd ſapientius, modeſtius, grauius, intelligentius, & reuerentius prædictas horas canonicas inchoabit, ac finiet; cum illæ fere omnes per præfata quattuor inchoentur, & finiantur, quod meri-
27 to fieri debet; quia cum illę ſint genus orandi omnium humanitùs inuentorum optimum, digniſſimæ plane ſunt, quæ intrã, & extra eccleſias optime incipiantur, & finiantur; ſiue cantentur, ſiue abſque cantu re-

recitétur, vt in d.miſcel. 62. latius tradimus. Tertiũ, quòd qui ſemel imbuerit conſuetudinem pronunciandi præfata quatuor modo prędicto maiore cum ſapore, ſiue magis ſapide pſallet, & pronuntiabit Dauidicos Pſalmos, & præſertim ſuauiſſimum illum Pſal. 118. *Beati immaculati in via.* Per cuius totam ſeriem quaſi ore ad os familiariter ipſum Deum Opt. Max. alloquimur: quique quattuor horis quotidie diuiſus in vndecim octonarios verſuum duplicatos inſeruit. Sapientius inquã, & attentius cãtabit, & pronunciabit, quam ipſe, & multi alii ſolebamus eos olim cãtare, & recitare; quod & nũc idem facere videmus aliquos. Si ergo res Deo gratiſſima eſt, vt ei ſapienter pſallamus; etſi etiam nobis vtiliſſima & conſolantiſſima res eſt recitatio, & auditio Pſalmorum Dauidicorum ſapienter facta; conſequens profecto eſt, vt quiuis diuina facturus; ſi fidelis, & prudens fuerit, ſatagat diuina ope adiutus vitare, dum illa peraguntur, colloquia, quæ nemo non nouit præfatis perquã eſſe contraria. Quin etiam aſpernabitur, & abominabitur conſuetudinem eorum, qui ſine vlla pauſa in medio verſuum, & cum rara in fine illorum, & cum frequenti eorundem anticipatione ea pronunciant, incipiendo ſequentem verſum ante finem præcedentis tanta cum illorum confuſione, & mixtione, tantaque feſtinatione, vt qui canit, vel recitat ſequentem non poſſit percipere, neque intelligere finem præcedentis; neque contra qui canit, vel recitat præcedenté poſſit percipere, vel intelligere finem ſequentis. Qui plane abuſus, vt ſupra diximus, & nunc repetimus (eo quòd, vt ait Seneca, numquam nimis dicitur, quod numquam ſatis dicitur) eſt omnium cantantium, & recitantium, maximus, & frequentiſsimus; qui mea ſententia, mortifera culpa non caret. Ideoque à Prælatis neceſſario corrigendus, & explodendus. Dolebitque quòd is abuſus frequenter vſurpetur in pſallendo Sextam, vel Nonam poſt miſſam ſollenniſsime, tardeque finitam; & completoriũ immediate poſt veſperas ſollenniſsime cantatas, & in fere deglutiendo pſalmos laudum vſque ad Benedictus poſt officium nocturnum triduo ante Paſcha cantu organico moroſiſsime decantatum.

VIGESIMVS LOCVS.

29 VIGESIMVS denique locus colligitur ex illis partibus cap. 13. num. 9. & ſeq. in quibus inſinuatur, quòd nemo pſallentium in choro eſt ſui honoris, & reuerentiæ, quæ ſibi debetur, adeo prodigus, vt æquo animo ferat alium alloquentem ſe, vultum frequenter huc, & illuc vertentem; & ſermonem, quo ipſum alloquitur aliis, atq. aliis verbis ad alios prolatis interrumpenté. Nemoq. non vituperaret eos, qui orando Deũ

pro-

pro, *Pater noſter*, modeſte pronunciãdo pronunciant illud, quod inſignis ille verbi diuini præco Thomas Illirycus relat. in c. 13. nu. 43. Enchir. præd. de orat. ſolebat olim Tholoſæ in Galiis vocare, *Pater noſter de gentil home*, dicendo ad Deũ, *Pater noſter*, & mox ad famulũ, *Paſtine ſunt equi?* Et poſt, *Qui es in cælis, Eſt quod edatur?* Et poſt, *Sanctificetur nomen tuũ, Cur ſe demittit accipiter ille?* Et finito, *Adueniat regnũ tuum, Strigila equum;* &c. Et palã eſt, eum qui alloquitur extraria cum aliis, dum pſallit in choro, ſimilem eſſe illi, qui alloquitur aliquem reuerendum virum vultum ſrequenter huc, atque illuc vertendo, & ſermonem, quo ipſum alloquitur alijs, atque aliis verbis ad alios prolatis interrumpendo, & ei, qui per præfatum, *Pater noſter de gentil home* Deum
30 alloquitur. Quare vos omnes Patres in Chriſto admodum Reuerendi, & Domini mei ſacri Confeſſarii, quibus magna, & opportuna in hoc eſt auctoritas, etiam atque etiam rogo, & quæſo. Primum, vt in reuerentiam diuinæ Maieſtatis, exemplo, & verbo adhortemini nos errata noſtra vobis confitentes, vt nitamur pro viribus eam orare, eique pſallere, & cantare, abſtinendo nos à colloquiis extrariis, & ab omnibus aliis, per quæ attentio, vel alia circunſtantia bonitati orationis neceſſaria impediatur. Deinde, vt cõſulatis omnibus pſallentibus in choro, & eis præſidentibus, vt ſeruent, ſeruariq. faciant illud Eccleſiæ Gallicanæ, *Laudes diuinæ per ſingulas horas non curſim ac feſtinanter; ſed tractim, & cum pauſa decenti præſertim in medio cuiuſlibet verſiculi, debitam faciendo inter ſollenne, & feriale officium differentiam reuerenter ab omnibus perſoluantur.* Poſtremò, vt admoneatis omnes ad horas canonicas, ſiue preces horarias pronunciandas obligatos, vt meminerimus, ſæpeque reputemus, munus pronunciandi eas nobis eſſe præcipuum; ideoque maxima vigilantia, cura, & ſtudio exercendum; nullaſq. opes, nullum earum magnificum vſum, nec ullam generis claritatem tantæ utilitati, gratię, gloriæque ſolidæ nobis apud Deum, & homines fore, quantæ fuerit functio ſancta eius iugiter in finem uſque uitæ ita continuata, ut tandem uideamus Deum Deorum in Sion. Amen.

ΤΕΛΟΣ.

BERNARDVS SERMONE 13. ſuper Cant. citatus in præfato Enchiridio de oratione: & Horis Canonicis c. 13. nu. 10.

IMMOLANTES hoſtiã laudis iungamus ſenſum verbis; affectum ſenſui; exultationem affectui, grauitatem exultationi; humilitatem grauitati; libertatem humilitati, quo interdum liberis purgatæ mentis paſſibus procedamus.

AMEN.

INDEX EORVM QVAE HOC BREVI COMMENTARIOLO CONTINENTVR.

A

AFFABILITAS, quæ Chriſtiano mori repugnat non eſt virtus. num. 7.
Anima ad orandum præparanda. nu. 16.
Animarum verba ſunt earum deſideria. nu. 12.
Anticipatio verſus in pſallendo quàm mala. nu. 19.
Anticipatio verſus iterum damnatur. nu. 28.
Anticipantem non punire Prælato vt malum. nu. 19.
Attentio, & deuotio bene oranti neceſſaria. nu. 11.
Attentio mira monachorum Aegypti. nu. 14.

C

CANON generalis generaliter intelligendus, etiamſi maior ratio ſit in vna, quàm in alia ſpecie. nu 3.
Canonem ſimilis ratio ad ſimilia extendit. nu. 4
Canonicus quis non cantans in choro queat excuſari. nu. 20.
Clamat in aure Dei non cordula muſica, ſed cor. nu. 12.
Clero necunde tantus honor, & gloria, quantus de bona horarum recitatione in finem uitę continuata. nu. 30.
Confeſſarij maxime nos in noſtro continent officio. nu. 1.

D

DEambulare, mendicare, &c. in eccleſia malum. nu. 18.
Dei opus negligenter faciens maledictus. nu. 23.

Eccle-

E

Ecclesia pellat quæcumque officia turbant.nu.18.
Ecclesiæ Gallicanæ decretum acceptione dignum.nu.30.
Exhortatio ad bene pſallendum,& cantandum.n.30.

G

Gratia gratum faciens omni bono naturali præcellit.nu.21.

H

Horæ canonicæ inuentum humanum; & optimum genus orandi.nu.27
Horę partem notabilem corrumpens non ſatisfacit.nu.9.
Horis in quibus nimia feſtinantia peccatum.nu.28.
Hortator ab bona ſequendus.nu.1.
Hoſpitans gratis peccat ſordide hoſpitando.nu.23.

L

Legentes vel ſubſignantes litteras in choro vt peccant.nu.13.
Locutio cum alio interrumpit eam, quę fit cum Deo.nu.8.

M

Miniſtrantium collocutio in altari,& choro,&c. indecens.nu.16
Munus præcipuum cleri pſalmus publicus,& priuatus.nu.30.

N

Nvmquam nimis dicitur, quod numquam ſatis dicitur.nu.28.

O

Occaſio ad melius attendendum quęrenda.nu.14.
Orabit attente ſic aſſuefactus.nu.27.
Orandi ad munus cur oportuit quoſdam inſtitui.nu.22.
Orandi munus ſacrarum perſonarum præcipuum. nu.22.
Orans de ſolo illo, quod orat cogitet.nu.5.
Orans cogitet quem alloquatur: & audiat ſi vult à Deo audiri.nu.5.
Orans pellat cogitatus etiam de ſe non malos.nu.10.
Orans caueat impedientia attentionem etiam ſodalium.nu.13.
Orantis pectus Deo pateat,& hoſti claudatur. nu. 5.
Orantis ſermo tranquillus ſit,& verecundus.nu.6.
Oranti male debetur pœna Inferni vel Purgatorij.nu.25.
Oratio turris alta in terra viua fundanda.nu.10.
Oratio meretur, impetrat,& conſolatur.nu.21.
Oratio infecta veniali pœnam meretur.nu.21.
Oratio nuntius, curſor fortis, penetrans, & actus cum primis omnium Deo gratus.nu.22.
Oratio etiam voluntaria mala ſi non bene fiat.nu.23.
Orationis alta baſis imma humilitas.nu.10.
Orationis,& cuiuſuis boni fructus ſummus gratia.nu.21.

Oratio-